



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quòd in inferno peccatoribus ad consolationem ignis non luceat, sed vt  
magis torqueat. lxxix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

*Quòd miseris mors fiat sine morte. Cap. LXXVIII.*

*Gregor. in suis moralibus dicit.* **F**It ergo miseris mors sine morte, finis sine defectu: quia & mors uiuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Quia igitur, & mors perimit & non extinguit, dolor cruciat, sed nullatenus pauore fugat, flamma comburit, sed nequaquam tenebras decutit.

*Quòd in inferno peccatoribus ad consolationem ignis non luceat, sed ut magis torqueat.*

*Caput LXXIX.*

*Gregor. in suis moralibus dicit.* **Q**uamuis illic ignis & ad consolationem non lucet, & tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam se quaces quosque suos secum in tormento reprobis flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt: quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amauerunt, ipsorum quoque eos interitus in augmento suæ damnationis affligat.

*De eadem re. Cap. LXXX.*

*Gregor. in suis moralibus dicit.* **S**icut ergo electis ignis ardere nouit ad solatiū, & tamen ardere ad supplicium nescit: ita è diuerso gehennæ flamma reprobis, & nequaquam lucet ad consolationis gratiam, & tamē lucet ad pœnā: ut dānatorum oculis supplicium, & uulla charitate candeat, & ad doloris cumulū qualiter crucietur ostendat. Quid hic mirū, si gehennæ ignem credimus habere suppliciū, simul obscuritatis & luminis: quod experimento nouimus: quia & nunc dura flāma, lucet obscura. Tūc edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit. Tūc infinitè patens inferni baratrū deuorat, quos nunc inanis elatio exaltat. Atque qui quolibet ex vitio hinc voluntatē callidi persuasoris expleuerunt, tunc cū suo dūce reprobis ad tormenta perueniunt: & quamuis angelorum atque hominum longè sit natura dissimilis, vna tamen pœna implicat, quos vnus in crimine reatus ligat.

*Quòd humana anima ita immortalis sit, ut & mori possit, & non possit. Cap. LXXXI.*

*Gregor. in suis moralibus dicit.* **Q**uia ergo nostræ immortalitatis hoc tēpus non ita ut malè sit, sed ita perit ut non sit, querendum est quid sit, quod non ut ita non sit, sed ita perire optatur ut male sit. Humana enim anima seu angelicus spiritus ita immortalis est, ut mori possit: ita mortalis, ut mori non possit. Nā beatè viuere, siue per vitiū, seu per suppliciū per-